



Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Orationibvs Variis, Et Ignitis aspirationum iaculis ad Deum, Deiparam
Virginem Mariam, cæterosq[ue] Sanctos - exercitijs item diuersis, tum
maximè Paßionis Dominicæ, eiusq[ue] matris, refertißimus

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Ea quæ Christus pro nobis hora Tertia passus est, Hymnus VII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45928](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45928)

*Ea que Christus pro nobis passus est hora
Prima, breuissime explicans,*

Hymnus VI.

A dductus mane Iudici,
De crimine multiplici
Dum accusaris, pateris,
Tacens, Herodi mitteris.

Multis te rex interrogat,
Tacentemq; vituperat,
Spretum vestis opprobrio
Vt stultum, mittit Pontio.
Te vinctum inter verbera
Reducunt & conuicia,
Insultant, plebs obloquitur,
Te mater dolens sequitur.

Iesu totum fac humilem
Me, castum, mitem, supplicem,
De cunctis bene sentiam,
Omnesq; mihi praeferam.

Nil iudicem, sim patiens,
Sensus & linguam continens:
Mundum & laudes horream,
Propter te sperni diligam.

Iesu tibi qui pateris, &c. vt supra.

*Ea que Christus pro nobis hora Tertia
passus est, succinctim enarrans,*

Hymnus VII.

O Grandis contumelia
Iesu, quem hora tertia
Latroni Praeses comparat,
Peiorem sed plebs aestimat.

Nudus ligatus caederis
Flagris, virgis discerperis,
Dum liues totus faucibus,
Cruor calcatur roseus.

Illusum veste rubea,
Coronae pungunt spinea,
Conspuunt, caedunt, exprobrant,
Crucifigaris postulant

Mater afflictum respicit,
Eius cor dolor secuit,
Cuius me dolor faucies,
Spinatq; tua cruciet.

Iesu tibi nil praeferam,
A te fac vt lascipiam
Mœsta lætus & aspera,
Feramq; mitis omnia,
Iesu tibi qui pateris, vt supra.

*Ea que Christus hora Sexta pro nobis
perpeffus est, breuiter explicans,*

Hymnus VIII.

Praeses ante meridiem
Iesu te sistit humilem,
Pronunciat innoxium,
Quom̄ damnat ad supplicium,
Nemo scit contumeliam
Quam pateris tunc arduam,
Iesu, qui crucem propriam
Gemens fers ad Caluariam.

Irrisus inter verbera,
Cruenta das vestigia,
Piz sequuntur foeminae
Cum matre flentes misere,
Educere cum impijs,
Vt videaris similis,
Et viribus cum deficiis,
Matre vidente corruis.

Myrrhatum vinum porrigunt,
Ad locum vbi veniunt,
Mox enudaris vestibus,
Plagis recrudescensibus.

Parari crucem conspicis,
In quam proiectus, obijcis
Manus pedesq; dum clauis
Extensus crucifigeris.

Mater insultus pessimos,
Ictus audit & malleos,
Suspensum cernit vnicum,
Inter latrones, medium.

Illusus à principibus
Dum oras pro tortoribus,
Latroni donans veniam,
Matri commendans vnicam.

Iesu cuncta fac deferam,
Meq; verè despiciam,
Vnum te nudus diligam,
Tibi confixus haream,